

IOANNES STVRMIVS ARGENTINENSIS SCHOLAE
Rector.



Ioannes apud Belgas natus patria Sleidanus extitit, Anno circiter 1507. hic literarū amore post prima rudimenta percepta Louanium peruenit, atq; bonis artibus & linguis diligentem operā nauuit. In ijs etiam adeò profecit, ut ibidem inter linguarum professores reciperetur. Postea se se Lutetiam Parisiorum contulit, atq; sua eruditione & rara eloquentia apud eius gymnasij professores magnum sibi nomen comparauit, in quorum etiā numerum cooptatus fuit. Ibi cum aliquandiu māsisset, tandem anno 1537 in Germaniam rediit, & religionis causa Argentinam profectus est. In eo loco breui ob uitutes in magnorum virorum, ipsiusq; Jacobi Sturmij, familiaritatem peruenit. Huic cum literarum studia placerēt, Ioannes currenti equo calcaria addidit, atq; ei persuasit, ut Argentinēsi reipublicæ author esset, quō in celebri ea urbe collegium aperiretur. id quod etiam sequenti anno factum est. Tum uero Ioannes instituendæ suuentutis, & tanquam in classes distribuendæ rationem, & uniuersam docēdi uiam senatui ostendit, & post edito libro fusius explicauit.